











SPIEWACZEK, M.

ἘΠΊΣΚΕΨΙϹ
SEU
ÆGROTI CONSIDERATIO.

Genericè

Omnes totius Corporis Humani partes & morbos perpendens.

Specificè

Pectoris ægritudines earundemq; subjecta contemplans.

In particulari verò

ἉΙΜΟΦΔΙΣΕΟΣ

ETIMON, ESSENTIAM, CAUSAS, DIFFERENTIAM, SIGNA, PROGNOSIM, ET CURAM CONCIPIENS.

Ad

Occasionem illius Hippocratici Sect. 5. aph. 24.

Frigida veluti nix & glacies pectori inimica, tusses movent, & sangvinem, & destillationes.

Concepta, & more solito,

Publicæ Disputationi pro Collegio Medico Pragensi, in Aula magna Carolina proposita,

A

MATTHIA SPIEWACZEK, Boëmo Novo-Domensi, Philos: & Medicinæ Doctore.

Anno M. DC. XC. V.

SUB AUSPICIIS
AUGUSTISSIMI
ET INVICTISSIMI
ROMANORUM
IMPERATORIS
LEOPOLDI I.

SUB RECTORATU
PRÆNOBILIS, GENEROSI, ET EXCEL-LENTISSIMI VIRI, DOMINI
JOANNIS ANTONII
CASSINIS de BUGELLA,
Phil: & Medicinæ Doctoris.& Professo-ris Regij, Publici, ac Ordinarij, Sac: Cæs: Reg. Ma-jest: Aulæ Medici, Vnivers: Carolo-Ferdin: Pragensis, p. t. RECTORIS MAGNIFICI.

SUB DECANATU
Prænobilis, Generosi, Spectabilis, Clarissimi ac Excellentissimi Viri
D. JOANNIS FRANCISCI LÖW ab ERLSFELD,
Philos: J.U. & Medicinæ Doct: ejusdemq; Professoris Regij Publ: ac Ord: Sac: Cæs: Reg: Majest: Cons: Sac: Later: Palatij Aulæque Cæsar: Comitis, ejusdemque Medici, Facul: Medicæ, p. t. DECANI.

Annuente Amplissimo Collegio Medico.



PERILLUSTRI
AC
GENEROSO DOMINO
SIGISMUNDO
LEOPOLDO
SCHMIDEL de SCHMIDEN,
Domino in Ronovv ad Dobra-
vam, Wekelsdorff, Studnitz, & Sti-
zin, Sac: Cæſ: Regiæq; Majeſt: Conſil:
Incliti Judicij Cameratici & Fevdalis
Aſſeſſori, nec non Vice-Camerario in
Regno Bohemiæ,
DOMINO ac PATRONO SUO
COLENDISSIMO
Dedicata.



Ueram per ſeptennium Patrone honorandiſſime Perilluſtrium ac

Generosarum Prolium Tuarū per Te constitutus præceptor, nec meo labori peperci, ùt ex Te radicatæ Plantulæ in omnē sese extenderēt dimensionem. Irrigavi eas manè, & Hymnū dicebant SANCTUS! SANCTUS! SANCTUS Dominus DEUS Sabaoth! hosanna in Excelsis! fovi à flatu & calore meridiano; & in omnem terram exivit sonus eorum, ac veluti ce-

cedrus Lybani ſpirabant odorem ſvavitatis; ad veſperum circumfodi, & reflexerunt ſe ad Dominum petentes auxilium à SANCTO SUO. Habes igitur fructum Mecænas Gratioſiſſime, quem è proprijs ævô tuô decerpas plantulis; habes, quem in diebus tuis, ſpires odorem; habes, quô te in ſenectute tua, fulcias, baculum.

Verùm, num ego tuas inſtruxerim plantulas, vel potiùs ipſe à te inſtructus fuerim, dicere erubeſco! loquantur egeni, quibus omni die ſtipem ſuppeditas; dicant oppreſſi, quos omni hora ſublevas, enarrent mæſti, quos omni momento conſolaris; meum eſt, vel tantillum tibi gratificari. Et quoniam nil aliud, quàm pectus apertum, quod Tibi dedicem, habeo, bene-

benevolus ſuſcipe hanc ἐπίσκεψιν meam, detectíſque communibus tegumentis inſpice, quid in pectore meo hæreat, & videbis, quia ſemper paratum eſt Cor meum ad ſervitia tua Perilluſtris Domine; cujus ego ſum, & manebo ſemper

Servus ac Cliens humillimus

Matthias Spievvaczek.



Quod agendum ſemel, priùs bene conſiderandum eſt. *Senec. lib. de Morib.*

Impreſſit Joannes Carolus Gerzabek.



PRÆFATIO.



Ix orimur morimur! *nec mirum; vitæ enim & mortis nobis congenita habe-us principia;* (a) Formavit qui-em Dominus DEUS hominem de mo terræ, & inſpiravit in faciem us ſpiraculum vitæ; *Sed cùm Pro-parentes* Adam & Eva de fructu tito comederint, *labefactato vitæ raculo à Proto-Plaſte inſpirato, præ- pœnam Canonicã, elementares in ſeſe citavêre qualitates, & mortis accepe-nt ſententiã; Unde factum, quòd* uni- generatio, ſit alterius corruptio: *nt enim quatuor Elementa corporis*

 hu-

(a) *Gen. cap. 7. verſ. 7.*

humani substantiam constituentia, quæ Cælesti ad invicem juncta Calore, ejusdemque naturæ Humido perfusa, salvum & incolume id reddunt; Ast ubi una vel altera elementarium qualitatum excedit, imperio Calidi Innati se subtrahit, & hominem ducit ad interitum. Quod fit dum vel calidum, vel humidũ, vel frigidum, vel siccum, in corpore humano prædominatur; ait enim Hippocrates, quòd (b) morbi omnes fiant partim ex eis, quæ in corpore sunt, partim ex eis, quæ extra corpus depræhenduntur, quin etiam ex calore, si supercalescat, frigore, si superfrigescat, humido, si super humescat, sicco, si super siccescat, procreantur: *Nam, sicut consentientibus primis quatuor simplicibus substantijs Calidum Innatum justum individu[um] temperamentum conservat, ad alen*dum

(b) *Lib. 5. de Morb. §. 4. fol. mihi 185.*

dum corpus aptos humores progenerat, partes debitè nutrit, & auget, facultates congruè regit, spiritus ordinatè disponit, & actiones commodè elicit; Ità sex rebus Nonnaturalibus usu illegitimo disproportionatis, qualitates elementares magìs ac magìs in subjecto radicātur, pro quarum vario excessu, variæ causantur intemperies, pro intemperierum varietate, varij adaugentur humores, pro varietate humorum, varij producuntur morbi, pro varietate morborum, variæ læduntur partes, pro varietate partium, variæ offenduntur facultates, pro varietate læsarum facultatum, variæ præpediuntur actiones, dissipantur, aut suffocantur spiritus, difformantur organa, perturbantur humores, corrumpuntur temperamenta, imò ipsa omnium prima in sese invicem elementa convertuntur. Hinc

fit

ſit, quòd calor innatus, dum aptum non invenit in corpore humano vivente habitaculum, ceſſet vitaliter operari, & acceptis novis diſpoſitionibus, formam cadavericam conſtituat. Quæ quidem omnia cùm naturali quodam motu tendant ad corruptionem, neceſſe eſt, ùt, dum orimur, mori incipiamus. *Ac propterea, cùm vitæ & necis nobis inſint principia, ſic* Omniſcio *ordinante Architecto, ùt homo, quô ſe tueatur, habeat, Adæ Medicina concreata eſt, quam per diluvium ferè abolitam Apollo priſtino reſtituit fulgori, filióque ſuo Aſclepiadi ulteriùs excollendam, ſuæq; poſteritati ſolúmmodo fovendam tradidit. Et certè cùm ſtirpe Aſclepiadûm rurſum Medicina interiiſſet, ni Divus Hippocrates ultima Apollinei ſeminis Gemma, collectis tum ſuis, tum prædeceſſorum ſuorum obſervationibus*

artem

artem experientiâ confecisset, & æri, boríque incissam toti mundo patefecisset. Imò & ipse Hippocrates hodiedum pulvere obrutus jacuisset, si Galeni opera è tenebris extractus, & scientificis rationibus illustratus, non fuisset; ad cujus mentem sit.



CONSIDERATIO PRIMA.


Emo ægrum ſanitati reſtituet, qui ſani naturalem ignorat conſtitutionem; quæ variat pro particularum ſyſtema humanum conſtituentium varietate. Sunt autem docente ipſo (a) Galeno aliæ partes partium, aliæ partes corporis, aliæ ſyſtematis humani. *Partes partium* ſunt quatuor elementa; *Partes Corporis* ſunt mixta ex elementis, *quæ toti cohærent, participantq; vitam communem, & ad aliquam functionem, vel uſum deſtinantur. Syſtematis humani partes* ſunt contenta, continentia, & impetum facientia. Quæ continent, propriè partes dicuntur, & ſunt ſubjecta ſanitatis atque morborum. Continentur humores, & hi ſunt corporis vel alimentum, vel excremen-

(a) *Lib. 1. de Nat. hum.*

mentum, aluntq; varias morborum causas. *Impetum faciunt*, suo instructæ temperamento, munitæ spiritibus, & calido Innato roboratæ, Facultates, Symptomatúmque sunt domicilium in quantùm læsas edunt actiones; & tunc manifesta exhibēt morborū testimonia. Sed quid juvat de partibus tam stricta inquisitio? *Herbis enim non verbis curantur ægri!* & inflaminata v.g. Plevra, aut Peripnevmoniâ laborante Plutarcho, in totum corpus febris acuta sævit; danda igitur universalia refrigerantia, & humectantia, partis non observando constitutionem? Respondeo minimè gentium, & dico, febres alias esse Essentiales, alias concomitantes, Symptomaticas alias; In omnib9 necessùm est partem affectam considerare; Nam in Essentialibus focus, in Concomitantibus locus, in Symptomaticis accidens superveniens, ût febris curetur, noscere oportet. atqui hoc nosci non potest non habita partis affectæ notitia; taceo, quòd ablatâ causâ, etiā & effectus auferatur; Sed in Essentialibus febribus, ubi Focus, ibi &

 cau-

caufa morbi; in Concomitantibus, ubi Locus, ibi inflammatio, febris fomes; in Symptomaticis, ubi Accidens, ibi putredo, febris origo. Nil dico, alia febri, alia inflammationi, mederi remedia; Quævis etiam pars, veluti & morbus, fuum habet specificum, aliud igitur medicamentum Anginam, quæ eft inflammatio laryngis, aliud Rhagades, quæ funt inflammatio Ani, curat: Sed cur Capite per effentiam doloribꝰ laborante, Anodynus injectus Clyfter, capitis leniat dolores? An quia antecedentem dolorum caufam revellit? An quia analogo calore, fpiritibus vehementiùs concitatis, foporem inducit? Sed

Dubitabis, utrùm aliter curanda fit pulmonum inflammatio à potu frigido caufata, quàm ea, cui occafionem dederat largior aceti, vel aromatum ufus? Ratio dubitandi eft, quia in omni inflammatione, utpote remedium univerfale, convenit Venæ fectio, quapropter videtur etiam convenire & remedium locale; at contrarium monftrat experientia; quid igitur fequendum? Refpon-

spondeo, à temporibus Hippocratis Medicinam semper bipedem fuisse, atq; in ea periti, sunt ad curandũ morbos ratione & experientiâ usi; quapropter, cùm frigidi sit condensare, calidi rarefacere, acris, quale est acetum, corrodere, pro diversa causæ activitate, diversis uti remedijs, eadémque pro varietate temporum morbi, variare oportet. Et quamvis omni inflammationi, utpote remedium universale, venæ sectio conveniat, ea tamen Medicis non semper est eadem, etsi eadem vena secetur; *Peritus enim in arte*, in hac inflammatione venam incidendo sangvinis copiam minuit, in illa massam sangvineam refrigerat, hìc defluxiones sistit, ibi sangvini subsistenti motum conciliat, jam evacuat, jam revellit, jam derivat, nec quidquam agit, cujus rationem reddere non possit. Exemplum ex sequenti capiatur historia.

Joannes Baptista Propola Vir Annos natus quinque supra quadraginta, jam olim morbo gallico

cor-

correptus fuerat, ſimúlq; per Hæmorrhoides ſingulis Menſibus copioſum ſangvinis fluxum profundebat, qui nunc, cùm illi ad aliquot dies conſtringeretur, nec ſolito modo flueret, ecce per os ſangvinem, abſque tuſſi & febri, ſub flavum & rubrum multúmque coacervatim emittit; perterritus igitur conſilium petit, quò tantum fugiat malum. Ego autem, uti decet, omnia perpendens, jubeo hominem bono eſſe animo, ac illico hæmorrhoidibus quatuor apponi ſvadeo hyrudines, quæ ſangvinis uncias ſex ſugendo extrahant, poſtea præſcripta optima victûs ratione ſyrupum ex Endivia fumaria ac lupulo, earum herbarum decocto dilutum ad aliquos dies bibendum do, inde pharma-

cum

tum ex manna, Rhabarbaro, & portiuncula electuarij diaphæniconis constans, porrigo, quibus absumptis optimè se habere dicit. Attamen ad plures postea dies conditum ex floribus fumariæ & cichorij jejuno stomacho comederat, superbibita aqua cichorij. Hoc ordine sangvis cursum suum consvetum consecutus; cujus fluxu hic optimè valet: *Amatus Lusit. Curatio. 3. Centur. 5.* cujus occasione

Quæres. *Utrum Hæmopthisis ex morbo Gallico orta sit curabilis? Problem:*

CONSIDERATIO SECUNDA.

QUòd autem frigida sint pectoris inimica, perspectâ ejusdem partium constitutione redditur

tur manifestum; Sunt enim, quæ id ab extra cingunt, quatuor universo corpori partes communes, nimirum cuticula, cutis, membrana adiposa, & panniculus carnosus; ab intra circum circa id Plevra succingit: Quatuor communibus tegumentis subjacent musculi, antrorsum quidem pectoralis, serrati antici, subclavius, intercostales, &c. Retrorsum musculus Trapezius, Rhomboides, serrati postici, longissimus dorsi, Spinati, &c. Musculos firmant ossa & cartilagines; à tergo duodecim vertebræ, totidem à lateribus paria costarum; ab ante id munit sternon Xyphoide cartilagine acuatum; desuper clavicula, ab infra diaphragmate terminatur. Continet COR fontem vitæ, primum vivens, & ultimum moriens, movens, sine movente, absque quiete, quiescens: solem microcosmicum, quem pulmones ambiunt, fulcit cum mediastino glandula Tymos, circumdat pericardion, cum aspera arteria sustentant Vena cava, & ascendens arteria aorta. Copulatur cum pulmonibus per Venam arterio-

osam, & arteriam venosam, Venâ
vâ jungitur hepati, & ex impari, ab
c progerminata, omnentotius pecto-
e Syntaxeos dispositionem percipit.
uæ partes universæ cùm similares &
tiori ex parte spermaticæ sint, tem-
raturæq; frigidioris, attamen in NA-
VI CALORIS cujus *micantis in corpore
rmansio, vita, extinctio mors est*, augu-
entum, & custodiam datæ sunt. Hæ
am frigido ambienti sufficienter resi-
ere, contentum minùs aptè discutere
ossint, frigida cognoscunt inimica.
ed dubitabis, utrum etiam grumno-
s sangvis frigidus sit? Ratio dubitan-
est: Quia juxta Philosophum calor
refacit, frigus condensat. At juxta
ledicos stagnans sangvis putrescit,
uæ autem putrescunt, calidiora se ipsis
adunt; quid igitur statuendum? Re-
ondeo, quòd utrobique sua sit verbo
eritas, at diversitas in caloris conce-
u; putrescentia enim evadunt cali-
ora calore elementari, & corruptivo,
lata ad calorem nativum, frigida per-
anent; imò quo major est in corpo-
re

re humano putredo; frigus tunc maxi mè afficit ægrotantem. Sed cur Hæ mopthisici non febricant? an quia nul la adest humorum putredo? an quia ad est sangvinis sufficiens ventillatio? vid consequens

Adolescenti cuidam ex refrige ratis Spiritûs instrumentis orta tu sis fuerat, cùm sangvinem ad dim diam hæminam rejecisset, statim venam incidi, ac bis eodem die e ea sangvinem detraxi, deinde ru sus postridie bis, sed artuum frict one, & vincturâ priore die usus ad vesperum dedi pharmacum no strum, quod diaspermaton dicitu Secunda die post alteram detract onem imposui toti pectori cer tum, quod ex thapsia conficitu mox vesperi, nè super modum ca lefaceret id auferrens. Tertio di rursus ad tres horas imposito, h m

ninem lavi. Cibavi autem simi-
ter tribus his diebus: Prioribus
uidem duobus sorbitiunculis,
ertio verò pthisanæ primùm cre-
more, deinde pisce statim aliquo,
ui & facilis concoctu, & simpli-
i ratione præparatus, adjecto,
edi quoque medicamentum dia-
permaton, & secundo die & tertio
imiliter ad vesperas, quippe quod
z somnum conciliat, & sensum
oloris elevat, & siccandi vim ha-
bet. Tum verò cùm & spiritui
lelegatæ partes innaturali tempe-
amento essent, & totum corpus
acuatum, ac nullla phlegmones
uspicio circa ruptum vas superes-
et, expurgare cæpimus. Mox bi-
bito medicamento, quod viperas
abet, ætatis jam vigentis ad Ta-
bias dimisi; sic ego omnes, qui
pri-

primo die curandos se mihi permiserunt, sanavi. *Gal. lib. 4. Cap. 6. de loc. affect.*

Sed quæres quâ ratione aura, ad vulnera & ulcera pulmonum sananda conducat? Respondeo, ante omnia primis illis quatuor qualitatibus, quando aër illas ità inter se dispositas obtinet, ùt reliquæ siccitati cædant prædominationem; tunc enim dum humorem siccat partem sanat: Nam *ulceris sanatio est ejusdem exsiccatio.* Secundò conducit raritate, quâ de causa omnes totius pulmonis lobos facilè permeat, & ex ijsdem tetros putredinososq; halitus aufert, ac à sentina corrumpente eorum substantiam mundificat. Tertiò prodest odore, quo Spiritus vitales intantùm refocillat, ùt collectis viribus materiam tabificam dissipent faciliùs. Quartò tandem id præstat aër virtute balsamica, quam per blandas exhalationes herbarum, fruticum, & arborum participat: quâpropter inspiratus non tantùm mun-

difi-

ificat, ſed etiam glutinat vulnera, & lcera cicatrizat. Dubitabis utrum ſthmatico ſangvinem extuſſienti, ſint xhibenda ſangvinem ſiſtentia? Ratio ubitandi eſt; quia aſthma vel ab obructione vel à compreſſione pulmoum pertinaci oritur, ſed ſangvinem ſtentia utrumque adaugent; Econtra exhibeantur incidentia, & reſolvena, ſangvinis exſpuitionem promovent; uid igitur agendum? Reſpondeo graus aſthmatis conſiderandus, & ſanvinis, qui ejicitur; quantitas; dein perendendum, quis affectus ab altero deendeat, & qui majus minatur vitæ peculum, illi priùs ſuccurrendum, minùs edente tantiſper neglecto. Cæteroùin ubi paribus viribus naturam oppunant, paria iiſdem opponantur remea, miſceantur aſthmaticis ſangvinem ſtentia, & ubi vas aliquod ruum animadvertitur, vulneraria. *Proem*: Utrum aſcite laboranti, ſi etiam emopthiſi corripiatur, vena ſit ſecan?

CONSIDERATIO
TERTIA.

CUm juxtà varios conceptus, formas item, & compositiones varias, naturaliter pectus variæ partes constituant, necessum est, ùt, qui præter naturam eas afficiunt morbi, etiam varij sint, & non tantùm genere, aut specie, sed & hæcceitate diversi; Omnium autem est

Genus supremum

Morbus ut sic.

Genus subalternum.

Morbus similaris.

Morbus Organicus.

Morbus communis.

INFIMUM GENUS ET QUIDEM morbi similaris est.

Intemperies manifesta.

Intemperies occulta.

Species Intemperiei manifestæ sunt.

Intemperies calida.

Intem

Intemperies frigida.
Intemperies humida.
Intemperies ſicca.

Quæ aut ſunt ſimplices, aut compoſitæ, cum, vel ſinè materia.

Hæcceitates Intemperiei manifeſtæ ſunt, qualiſcunque.

Intemperies cordis.
Peripnevmonia.
Plevritis.
Inflammatio Diaphragmatis.

Nec occulta Intemperies ſuis çaret ſpeciebus, ſed variat pro varietate veneni, & ex antipathiæ diverſitate, diverſas acquirit denominationes, inter alias eam hæcceizat Virium imbecillitas, Lypothymia, & Syncope.

MORBI ORGANICI INFIMUM Genus eſt vitiata.

Conformatio
Numerus
Magnitudo
Situs.

Species vitiatæ Conformationis ſumuntur ex

Figura.
Meatu.
Cavitate.
Lenitate.
Aſperitate.
Duritie.
Mollitie.
Denſitate.
Ratitate.

Quarum quædam proprias nactæ ſunt denominationes, ut

Anaſtomoſis.
Diapedeſis.
Obſtructio.

Determinantur autem ad ſingularitatem per

Gibum pectoris.
Hæmopthiſin.
Empyema.
Aphoniam.
Raucedinem.
Scirrhum Mamillarum.

Fla

Flaccescentiam mamillarum.
Asthma.
Deliquium.

Species Numeri vitiati sunt
Excessus partium.
Defectus partium.

Hæcceitates.
Cordis Hispiditas.
…t si observationibus credendum est,
…uas annotaverunt Plin. lib. 11. cap. 37.
… Cælius Rhodiginus lib. 4. cap. 16.
Carentia Cordis.
…lalim cum Gal. lib. 7. cap. 11. admini-
…r. anat. Barthol. Cent. 1. hist. anatom.
…7. Rhod. Mantissa Anatom. Obs. 12. &
…acut. Histor. 38. fol. 250.
Geminum Cor.
Absumptum lobum pulmonis.

…pecies morbi Organici in Magnitudine
sunt.
Aucta magnitudo.
Imminuta magnitudo.
Singularizantur per

Oedema pulmonis.
Marcescentiam Cordis.

Species Morbi Organici in situ sunt vitiata.

Connexio.
Locatio.

Unizantur

Accrescentia pulmonum.
Costarum luxatione.

COMMUNIS MORBI GENUS Infimum est

Vulnus.
Ulcus.
Fractura.
Contusio.

Species Vulneris sunt

Venenatum.
Nonvenenatum.
Punctum.
Casum.
Superficiarum.
Profundum.

Sin

Singulare.

Vulnus Cordis.
Papillæ morsus viperinus.

Ulceris species sunt

Benignum.
Malignum.
Diæresis.
Corrosio.

Hæcceitates

Pthisis.
Cancer mamillarum ulceratus.
Destillãtio ferina.
Fistula pectoris.

Species fracturæ sunt.

Fractura obliqua.
Fractura transversa.
Fissura.
Conquassatio.

Determinatur per

Obliquè fractam claviculam.
Transversùm fractam costam.
Fissam scapulam.
Conquassatum sternum.

Sed quæres, cùm juxta Hippocratem frigidum ſit ulceribus mordax. An lac, utpote frigidum pulmonum ulceri ſit coveniens? Reſpondeo; ſi nulla adſit febris, & ulcus tantùm ſit ſuperficiarium, à calida defluxione cauſatum, aliquid lac operari poteſt, ſi in morbi principio ad humores incraſſandos, & ſuperficiarium ulcus abſtergendum exhibeatur; At in ulcere profundo & inveterato, putrido, quod febrim habet adjunctam, præter inanem ſpem, ſunt purè *verba lactis nil in factis*. Experta eſt lactis vires.

Mulier 25. annum agens, quæ Amſtelodamo Alkmariam venerat, Menſe Majo Anno 1550. recreandi ſe causâ una cum marito, & ùt cùm amicis ſe oblectaret, quæ cùm copiosè florem lactis, ſeu Crema devorâſſet, ac vinum rubrum ſtipticum ſuperbibiſſet, lac in ventriculo confectum, peſſima Sympto-

tomata intoxicati ſimilia produ-
t: Inprimis nauſeâ ſinè vomitio-
e afficiebatur, cum ingenti ven-
ciculi dolore, adeò ùt Syncope
ubſequeretur, & anhelitûs præfo-
atio; ità ùt adſtantes illam mori-
uram putarent; adhanc accitus
quæ tunc ad foſſam novam in æ-
bus Laurentij Gvalteri cognati
oſtri decumbebat) ſtatim decoxi
orum Chamomil. m. j. ſem: aniſ:
œn. an drach: j. in aqua commu-
. & hujus collaturæ capiebam
nc iiij. cui addebam aceti vini
odicum, & ſacchari nonnihil, ac
tum tepidè propinavi; Quo
medio Lac concretum diſſolu-
m eſt, atque illa ipſa in vomitum
orũpens, Lac concretũ una cum
no evomuit, & accidentia jam
ēta, magna ex parte ſedata ſunt.

Glan-

Glande etiam impositâ ex melli
unc: j. pulveris hieræ picræ ſcr: ij
diagridij gr. ij. ſalis parum addiver
verſionem, alvumquoque excre
vit, inſuper his tabulis utens, ſta
tim convaluit. ℞. Pulv. calame
ti: ſcr: j. Margaritarum perforata
rum, & non perforatarum ſubtili
trit. an: gr: iij. diſſolutis in decoct
aquæ florum Chamomill: & meli
adjecto ſacch: q. s. f. Conf. in tabu
lis. Venit nobis tunc in mentem
id quod Gilbertus Anglicus Lib. 7
de Venenis Cap. de ſang. & Lac
concretis in ſtomacho ſcribi
Quòd ſentiatur frigus corporis,
præfocatio anhelitûs, utì huic mu
lieri contingebat. Is abſtinere ju
bet à ſalitis, quia faciunt caſeit
tem, dat acetum cum aqua in p
tu cúm ſucco Calamenti ʒ. v. qu
ſt:

atim reſolvit lac, & prohibet lac
conglutinatione; ſed quia flores
hamomillæ etiam erant ad ma-
um, commodè ijs uſi ſumus, cùm
d nauſeam faciant, & præcipuè ad
olorem ſtomachi. Sed eo non
itur Villanovanus in gravidis, in
uibus abortum movet, ut ille re-
rt, ſed hæc gravida non erat, igi-
r aliquid calamenti in tabulis
robè miſcuimus. *For: lib. 18.
Obſ. 13.*

Occaſione hujus Quæres.

*Utrum in Febri acuta ex lacte in
entriculo corrupto exorta, Vena ſit
canda? Problem:*

CONSIDERATIO QUARTA.

ET ſicut multum per Hæcceitatem
fit unum, ità morbus Univerſalis,
à parte quam affligit, ſuam acci-
pit

pit determinationem, quin & modum affligẽdi, novã dat morbo denominationẽ; Indefit quòd de se quidẽ morbi pauci sint, at partiũ respectu, quas affligere solent, plurimi reperiuntur, & quamvis multi sint existentia, unus tantùm de Essentia in unaquaque, specie reperitur. Sic una est Species Hæmorrhagiæ multa individua, quæ sicuti Species suam habet Essentiam, ità etiam individua suas habent proprietates, per quas unum ab altero differt, suúmque quodvis proprium, non tantùm exposcit remedium, verùm etiam certam acquirit denominationem. Ita Hæmorrhagia est immodicus mensiũ fluxꝰ, fluxus sangvinis narium, HÆMOPTHISIS. Hæc cùm inter reliquas Hæmorrhagias sit perniciosior ejus hìc Etimon, quod à Græcorum τὸ αἶμα quod idem est ac sangvis καὶ τῆς φθείσις extussitio; Unde HÆMOPTHISIS, sangvinis per tussim rejectio: eam hìc significat HÆMORRHAGIAM, quæ è pectore procedit, & quidem illam tantùm, quæ neque Symptomatica, neque critica, sed morbus est; de qua Hip-

poc

ocrates, *à sangvinis sputo, puris sputum, puris sputo tabes, cùm verò sputum supprimitur, moriuntur.* Quæres, Utrum iam Venena & incantationes hæmoptisim producant? Respondeo affirmativè, & probatur; quia dantur venena corrosiva ex antipathia pulmonibus noxia, atqui ubi est corrosio, ibi & sanguinis profusio, ergo, de incantatione mirabilem audi historiam.

Nobilis Matrona varijs mor-
s circa Annum Domini 1595. festabatur, quorum excandeentia tantos persæpè sonitus, fraores & dolores edebat; ut viginti, assuũ intervallo exaudiri possent. olorum itáque vehementiâ & udore concitata multoties non ntùm è templo, & Sacro publico omum se recipere cogebatur, veam etiam peritissimos, & celebrires Medicos, qui sævissimis cruci-
ati-

atibus mederentur, ſingulari ſtu
dio & ſumptibus conquiſitos, com
ſuluit; duobus porro primarij
Symptomatibus admirandis &
prodigioſis, quique humani con
ceptus conditionem facilè præter
ire, imò longè ſubterfugere poſſ
ſint, afficiebatur. Primùm por
tentosâ ſangvinis excretione, qu
intra Anni ejuſdem decurſum
quadringentas matulas terreas (re
miraculo proxima) ore regiſſet, &
protruſit, præter eum, qui alv
redditus eſt, & venæ ſectiones
quas, Anni ſpatio quinquagint
ſuſtinuit, adeoque quidem, ùt mi
le libras excretas, non tam ex alic
rum αὐτοψία, & fide dignorum ho
minum relatione, quàm propri
inſpectione, cujus cauſa hæc omni
confidentiùs affirmo, conſtat. Hæ
etiam

iam ubi maturiores & legitimas
narum inciſiones neglexit, id ſi-
mali diſſeminavit, ùt crurum
nis, ſupra quàm dici poteſt, mi-
culosè diſtentis, deinde nullo
gotio ruptæ ſint, & ſangvis co-
oſus inde promanaverit, qui in-
rdum eouſque progreſſus eſt, ùt
nnis generis medicamenta,
antúmvis reprimendo ſangvini
ta, & commodè adhibita, elu-
rit, & non admiſerit. Alterum
mptoma, quo eadem Matrona
riclitata eſt, æquè funeſtum, &
iraculoſum eſt, hoc cum copio-
ſangvine ſæpius unàquoque
mbricos, eoſque jam mille &
s centum promiſcuos, digiti ple-
mque longitudine, interdum
am longiores ore reddidit, qui
m helmintagogis fortè adhibitis
ex-

expulſi ſint, ſcire hactenus non li-
cuit, ex ijs enim aliqui medica-
mentis diſperdebantur. Obſerva-
tum, quin etiam teſtantur nobil
hanc Fœminam, unicâ vice vi
unc. ij. urinæ reddidiſſe, inſiden-
tem quin etiam balneo nunquam
ſudâſſe, ipſa formoſa & bene ha-
bita, conſtantibus viribus vivid
colore vegetóque vitam traduxit.
Diætæ etiam à Medicis præſcri-
ptæ, gnaviter inſtitit, niſi ubi pro-
fuſis vomitu viginti libris ſangvi-
nis aliquid imbecillitatis contra-
xit. Quæ tamen ſortilegij præſti-
giarúmque crimine haud vanâ ſu-
ſpicione laborâſſe non nullis com-
perta eſt. *Sebaſt. Brand ad Jac. Oli-
varium Cæſ. Archiatr. & Turnevſe-
rus in ſuis ſcriptis.* Occaſione huju

Quæ

Quæres. *An Aloëtica Vermibus & Hæmorrhoidum fluxu ſimul la-oranti, ſint exhibenda? Probl.*

CONSIDERATIO QUINTA.

EST autem Hæmopthiſis, de qua hic propriè, morbus de genere Organico-Communium, in Spe-ie Meatûs vitiati, in Particulari, pulmo-um, ſecundùm vaſa ob anaſtomoſim iapedeſim, Rhyxim, aut diæreſim, à aturali conformatione, aut unione re-edentia; Cujus generica ſequens eſto efinitio. *Hæmopthiſis eſt vaſorum pulmo-arium præter naturam apertio, cum ſan-vinis per os ſinè febre, & inflammatione, m tuſſi excretio, à ſuis cauſis inducta.* ed cur Hæmopthoici non febriunt? Quia nulla adeſt humorum putredo. ubitabis, Ubi in fæminis menſtruis ſub-ſtentibus ſangvis per os è pectore ex-rnitur, utrùm ille ſangvis menſtruus ? an verò alimentaris primarius? ra-

tio

tio dubitandi eſt; quia hoc modo a
fectas malè habet palpitatio & tremo
cordis, habitus decoloratur, & diffic
lis redditur reſpiratio; quæ omnia ſa
gvinis menſtrui ſurſum rapti ſunt ind
cia. Atqui etiam tabeſiunt, quod nu
trimenti defectum connotat; adhc
quid ajas? Reſpondeo ſangvis ille q
hoc in caſu tuſſi è pectore rejicitur, ſim
pliciter conſideratus nec purè eſt me
ſtruus, nec purè alimentaris, ſed miſt
ex utroque. Si autem ejus ſpectet
quantitas, portio eſt major ſangvin
alimentaris, quàm menſtrui. At ſi ej
ſpectetur vis activa, indeterminatè ſ
peratur alimentaris à menſtruo. Rat
eſt; quia ſicut finiti ad infinitum eſt inc
finita diſtantia, ſic maligni ad benignu
eſt, indeterminata; atqui menſtruu
eſt malignum, alimentum benignu
ergo. Indeſit quòd minima menſt
portio maximã in corpore cauſet mu
tionem, & ipſum etiam ſangvinem a
mentarem corrumpit. Habeatur exe
plum ex

Friderici Freij Accademiæ Syn-
ici filia, annorum circiter vigin-
, tenella, ſtatura mediocri, cor-
ore tenuato, forma liberali, è re-
one ædium mearum, apud con-
ngvineum famulam agente, cùm
iquoties primos menſium circui-
is experta fuiſſet, nec tamen ut
ar erat, expeditè typum ſuum ſer-
arent, ipſaque ob miniſterium
æſtandum negligentiùs habere-
r, & à parentibus quoque negli-
eretur, factum tandem eſt, ùt in
tum ſuppreſſis menſtruis purga-
onibus, facie, adeoqué toto cor-
ore palleret, ventriculus cibum
erſaretur, reſpiratio redderetur
fficilior, atqué ex levi occaſione
rdis palpitatione premeretur, &
ngverent omnia membra. Na-
ra itáque oppreſſa ſeipſam exo-

 ne-

nerare contendens mensium ma-
teriam per Anadromen sursum ad
vitalia & pulmones regerens, pue-
lam ad pthisim præcipitavit, cuju
signa & Symptomata, cum se in-
dies in virgine jam apertè manife-
starent, parentes ægram exfamu-
latu domum ad se revocârunt
& filiæ tandem seriò consulere con-
tendunt, nimis sera pænitudin
ducti. Verùm cum Pthisis in tam
tenella corporis constitutione ple-
rimùm invaluisset, sive mensium
virulentiâ singulari, sive curatio-
nis nimiùm procrastinatæ negli-
gentiâ, nullis postmodum reme-
dijs adjuvari potuit, quin tabe
consumpta interiret. *Schenk. in Ob.
Med.* Cujus occasione

Quæritur. *Utrùm menstrua in
prima, alijs validiores, eosque speci-
cos edat effectus? Probl:* CON-

CONSIDERATIO SEXTA.

UT autem Hæmopthiſis producatur, variæ concurrunt cauſæ, & in propagando hoc affectu, altealteri, quaſi manum porrigit: Primum occurrunt cauſæ externæ, quales ſignat *Hippocrates 5. aph. 24. dicens, fricta qualis eſt nix & glacies, pectori ſunt inimica, tuſſes movent, & ſangvinem, & ſtillationes*, motus, vel riſus vehementior, Spiritûs violenta retentio, ira fortior, ictus, caſus, conſvetæ venæ ſectionis omiſſio, naturalis alicujus ſangvinei fluxûs ſuppreſſio, &c. Cauſam externam adjuvat, Cauſa antecedens, quæ eſt ſangvinis copia in vaſis majoribus, tenuitate, aut acrimoniâ conſtitutionem naturalem excedens. Hanc Mediata ſequitur(?) , quæ in ſex rerum non naturalium uſu illegitimo ſubſiſtit; irritatur etiam à medicamentis corroſivis, & venenis intro ſumptis.

Conjuncta antecedentem excipit,

quæ hìc nil aliud eſt, quàm ille ipſiſſim
ſangvis, qui in vaſis pulmonum min
ribus naturam, vel quantitate ſuâ,
dequaque impulſus opprimit, vel q
litate, rarefactis, aut exeſis, cum pulm
num ſubſtantia tunicis vaſorum, ita m
leſtat, & ex ijſdem, ſive Rhyxi, ſive A
ſtomoſi, ſive Diæreſi, ſive Diapedeſi
pulmonũ ſubſtantiam, inde catarrh
excernendus profluit. Sed Quæ
Ubi hepate vulnerato ſangvis tuſſiem
expectoratur, utrùm tunc Hæmop
ſis ſit morbus, an Symptoma? Reſp
deo, quòd Hæmopthiſis propriè dic
nunquam ſit Symptoma: Ratio; q
Hæmopthiſis propriè dicta, ſemper
dit actiones, ergo nunquam eſt Sy
ptoma propriè dicta. Si igitur vul
rato hepate ſangvis, qui expectorat
actionem vitalem lædit, morbus eſt
non? Symptoma. At notandum
quòd Hæmopthiſis quandoque ſit m
bus primarius, quandoque morbus
cundarius; huic ex prioritate non
dare ſcies, juxta id, *prior tempore po*
jure. Dubitabis, idemnè ſit mor
prim

Primarius cum Secundario, ac *Morbus Complicatus*? Ratio dubitandi est, quia morbus complicatus est tunc, dum plures morbi simul & semel corpus affligunt, at morbus primarius cum secundario etiam simul & semel corpus affligunt, ergo videntur idem esse quod morbus complicatus. Respondeo, nequaquam idem sunt, imò specie inter se differunt disjunctivè, etiamsi collectivè considerati idem sint: Ratio hujus est, quia morbus primarius cum secundario, idem sunt genere, & eandem speciei causam recognoscunt, etiam si diversas partes afficiant, quapropter uterque est particularis. At morbus complicatus etiam à causis contrarijs prodicitur, & vel totum, vel unam eandemquë partem simul afficit, qualis est Hæmitritæus, &c. Sed cur rigor Podagricas antecedit defluxiones? An quia nova podagrici affectûs materia congeritur? An quia febris Arthritici affectûs comes, resolvitur.

Sutor noſtras à me 25. Januarij Anno 86. in præſentia Collegi noſtri Medici, apertus fuit. Vir Annorum triginta, corporis conſtitutione pituitoſa, hydrope, ab aſthmate cauſata, perijt. Is antequam tumere venter inciperet, in regione dorſi, latere dextro, tumorem habuit carnoſum, non recedentem colore cutis, cui Tonſor quidam cùm emollientibus diu applicati nihil proficeret, tandem cultello tumorem incidit, quo aperto, nihil ſi aqua effluxit, per aliquos dies postmodum vulnus ſanatum fuit. Sed cùm tuſſi vehementi divexaretur, pedes cum ventre tumere inciperent, difficultas ſpirandi adeſſet, medicorum conſilio uſus, tandem & meum expetijt menſibus circiter duobus ante mortem. Exhi-

bi-

bitis ergo ijs, quæ videbantur ad morbi curationẽ palliativam potiùs facere, per certa intervalla meliùs habere cæpit, mox recidivam passus, perijt. Abdomine aperto aquæ citrinæ copia, quæ duo vasa ænea, qualia Tonsores habere solent (Scherbecken) replevit effluxêre. Viscera omnia in abdomine cõtenta, satis commodè habebant, solo omento excepto. Diaphragma verò, non ab hepate sursum comprimebatur, sed à materia in thorace contenta, præter modum deprimebatur. Thorace aperto purulenta materia è latere dextro profluens, tria ænea vasa, replevit, cujus lateris pulmo totus in pus abierat, sinistro integro persistente, & satis commodè se habente. Hinc Asthma, hinc tussis, hinc hydrops, ex

pul-

pulmonis ulcere dependentia omnia. *Casp. Bauhinus de Obs: propr:*
Cujus occasione

Quæres. *Utrùm etiam affectus pulmonum stranguriam causare possint. Probl.*

CONSIDERATIO SEPTIMA.

QUamvis non incertum Hæmo-pthiseos indicium sit Sangvinis cum tussi sinè febrè è pectore rejectio, hæc tamen cùm omnis Hæmopthisis sit quarto modo proprium morbi sufficienter non determinat hæc[...] ceitatem; igitur Anatome & Avtopsi[...] firmam rationem & demonstrationem subministrante, opus est, quæ hoc, & non aliud morbi genus, hanc & non illam morbi speciem, hâc & non illâ determinatam singularitate, esse ostendi[...] Cùm autem Hæmopthisis ab omni[...] morborum genere dependeat, si una[...] quæ

quæque ejus ſpecies, ad ſuum relata genus, proprijs circumſcribatur terminis, indubium ſui demonſtrabit genitorem, accuſabitq; morbum communem Rhyxis & Diæreſis, Organicum Anaſtomoſis; Diapædeſis verò Similarem & Organicum ſimul, diverſo tamen reſpectu indicabit. Rhyxin cauſa violēta externa oſtēdit, cōprobat Sangvinis ejusq́ recētis, copiâ, & ſtertore pulmo oppreſſus. Diæreſis internam, calidam, acrem, ſalſam, corroſivam arguet materiam, eamque vel in pectore genitam, vel à capite delapſam, vel ex abdomine tranſmiſſam, vel alimenti aut medicamenti modo introſumptam, aut per ſe, aut per conſenſum alterius partis, pectus patiens annuet. Diæreſim autem eſſe teſtabitur, ſangvis paucus cum dolore, vel vellicatione excretus, puriq́ permiſtus. Anaſtomoſim prodet ſtertor, confirmabit ſangvinis ſub grummoſi copia, qui ſinè dolore, nullâ pregreſsâ cauſâ violentâ, cum levi tuſſi, expectoratur. Diapedeſim manifeſtat paucus, iſque tenuis & aquoſus ſangvis; declarant, u-

rens

rens in pectore calor, longa, cum virium resolutione, respiratio,&c. Pulmo spumosum sangvinem cum tussi rejicit, concretus è pectore prodit, Venæ, crassum & subnigrum, Arteriæ, tenuem & rubicundum, hæc cum, illæ sine sensu ab ægrotante pulsûs sangvinem profundunt. Si hæc, cum cæterarum sangvinis rejectionũ proprijs signis conferas, facilè propriam ab impropria distingves hæmopthisim. Sic è ventriculo vomitu, screatu exfaucibus, de gingivis sputatione excernitur; è capite labentem, quædam juncta caliditati oris dulcedo, è larynge, aut aspera arteria prorumpentem, pruriginalis titillatio, ab acribus, sive evaporationib⁹, sive destillationibus causatam prodit manifestè. Sed, Dubitabis, Utrùm plevritico sanginẽ extussienti, præmissis universalibus danda sint sangvinem sistentia? Ratio dubitandi est: Quia docente Hippocrate, *In plevritide, si sputum mox à principio appareat, eam abbreviat, si verò postea, producit.* At juxta Galenum in hæmopthisi præmissâ venæ sectione, mox sangvis sisten-

ſiſtendus. Quæſo quid agendum? Reſpondeo, reſpiciendum eſt ad magis urgens; Si igitur in plevritide tantus rejicitur ſangvis, qui vires ægri proſternit, præmiſſis univerſalibus mox ſiſtatur; at ubi exinde laterum alleviatur dolor, & ægri vires ſublevantur, expectorantibus ejus promoveatur excretio. Sed cur pedum refrigeratio gravat, excalefactio verò alleviat pectus? An ob nervorum communionem? An ob ſangvinis condenſationem, & rarefactionem? Dubitabis iterum, Utrùm acri & tenui ſangvine in pectus delabente, ægro porrigenda ſint medicamenta incraſſantia? Ratio dubitandi eſt, quia incraſſantia ſangvinem coagulant, eundem etiam ad putredinem diſponunt, ergo incraſſantia videnter fore non exhibenda; atqui humor tenuis niſi incraſſetur, excerni nequit, & pulmonum corrodit ſubſtantiam; quid ad hoc? Reſpondeo, hoc in caſu abſit omnis formido, dum exhibentur incraſſantia, ùt ſangvis putreſcat, imò eorum multiplicetur uſus, dentur nimirum Looch

& Be-

& Bechica incrassantia; Looch, ùt acres & tenues humores antequam asperam attingant arteriam, incrassentur, & screatu commodiùs excernantur. Bechica, ùt humor tenuis jam in pulmones delapsus, inidoneus ad expectorandum, citiùs, quàm eorundem pulmonum corrodat substantiam, tantisper incrassatus, expectoretur, nequé ex ejus incrassatione timenda putredo; cùm id, quod incrassatum est, mox è pectore rejiciatur.

Nicolaus Leonicenus Praeceptor celeberrimus, Vir, qui jam sextum supra nonagesimum transegerat annum, 1523. in raucedinem simul & gravedinem incidit: Hoc Medico utebatur probissimo atque Doctissimo Alberto Savanarolla, D. Hieronymi fratre, nè sine Medico ægrotaret, nam Medico non indigebat tantus Vir. Cùm

pe-

per aliquot dies raucedo, atque gravedo in Leoniceno perseverarent, & esset de salute sua valdè solicitus, bonus ille Vir Albertus, nè Leonicenus has affectiones curandas putaret, & nè esset de salute tam solicitus, hunc aphorismum illi retulit, *gravedines & raucedines in valdè senibus concoctionem non admittunt.* Quem audiens Leonicenus, subrisit inquiens; parce mi Alberte! Hippocratis aphorismum non intelligis, quippe verus non est in Viro Medico. Et ità certè fuit: Nam Vir (quod mirum est) tantâ ætate ingravescens, solâ victûs ratione observatâ, à raucedine & gravedine, evasit. Talis autem erat ejus victûs ratio. Nunquam abstinuit à carnibus, nunquam à pingvissimo capi jure, nunquam à

vino,

vino, quod & dulcissimum simu
& potentissimum, bibebat, & sa
nitati restitutus est; dicebatque
genus victûs esse illi ætati propri
um, & à qua, si declinet, potiùs pe
riclitari, quàm juvari. Imò Medi
cos illos deliros vocabat, qui i
tam ingravescenti ætate, carnes
jura, atque vinum prohibebant
si modicè sumantur; Sit quoc
cunque ægritudinis genus, quô i
le afficiatur. Refert hanc Histor
Brassavolus Comment. ad aphor. 4. li
2. Hipp. Ex cujus occasione, cùm
idem eveniat regioni respectu an
ni temporum, quod calido innat
respectu ætatis.

Quæres. *Utrum Boëmus Catha
rhosus, eò quò Gallus, aut Italus mod
sit curandus? Probl:*

CON

CONSIDERATIO OCTAVA.

QUoniam igitur & morbi ſuas habent proprietates, per quas ſe Medicis non tantùm manifeſtant, verùm etiã tum qualitatẽ, tũ quantitatem victûs & remedij, imò & ipſum temp⁹ ſumptionis determinant, videndũ igitur quomodo eæ hæmopthiſi accomodantur. Certũ quidẽ eſt, quòd omnis proprietas, aut ab eſſentia, aut à cauſa, aut à loco exiſtentis ſubſtantiæ ſuam capiat denominationem. At incertum, utrùm omnes morbi, ab omnibus conditionibus communicatas ſibi habeant proprietates: Solius hìc hæmopthiſeos propria enumerabo.

Quæ ab ejuſdem Eſſentia deſumuntur, illius magnitudinem, morem, motum, & eventum demonſtrabunt.

Propria à cauſis progenita indicabunt Sym-vel idio-pathiam, privationem vel poſitionem, protho-vel devtero-pathiam, particularitatem

vel univerſalitatem,ſeſe aut legitimand
aut ſpurios reddendo.

Propria à loco eſt diverſitas, nc
ſtrates, communes.

Hæmopthiſis de eſſentia ſua morb⁹ e
magnus, tum quia partem ad vitam ſim
pliciter neceſſariam afficit, tum quia v
res etiam robuſtas proſternit, & morten
infert.

Objicies; morbus magnus ma
gnam infert actionum læſionem, at hæ
mopthiſis non infert magnam actionum
læſionem, (hæmoptoici enim ambu
lant, comedũt, bene ratiocinantur, &c.
ergo. Reſp: diſtingvendo Majo:; Mo
bus magnus infert magnam actionum
læſionem, ſi morbus magnus dicatu
ob vehementiã ſymptomatũ, conced
Maj:; ſi ſit morbus magnus de eſſentia
nego Maj: Minorem ſimpliciter nego
quia hæmopthiſis omni ex parte e
morbus magnus in adulta ætate conſi
derata, vires enim etiam validiſſima
proſternit, & mortem infert.

Sed cur à copioſo ſangvinis flux
convulſio lethalis? An ob virium diſſ
pati

pationem? An ob morbi particularis in universalem transmutationem?

Quæres, Utrùm periculosiùs, ab Hæmopthisi peripnevmonia? an à peripnevmonia Hæmopthisis? Respondeo quòd Hæmopthisis peripnevmoniæ succedens minùs periculosa sit, quàm peripnevmonia succedens hæmopthisi; Ratio: Quia in succedente peripnevmonia, natura succumbit, in hæmopthisi sublevatur.

Dubitabis, Num in pthisicis sangvinis extussitio promovēda? an supprimenda? Ratio dubitandi est, quia pthisis est ulcus, quod mundificandum, mundificando autem sangvinis promovetur excretio, quæ ob virium resolutionem, aut imminentem inflammationem supprimenda. Respondeo à gradu pthisis utriusque desumenda indicatio, si itaque pthisis in primo gradu fuerit, quantocius sangvis supprimendus, tantisper puris neglectâ excretione, nè copiosior in pulmonum substantiam effusus, pure adaucto ulcus exacerbet. Si pthisis in secundo gradu fuerit utrique si-

 mul

mul medendum. At ubi tertium gr
dum pthiſis attigit, prognoſtico æge
relinquendus. Ad rationem dubitand
dico, quòd mundificantia, ſimul inca
nent, ea autem quæ incarnant, etiam
ſangvinem ſupprimunt, quibus ſi adm
ſceantur ſtegnotico-bechica, utrique in
tentioni ſatisfactum eſt.

Filia Trophini Icardi Viro nu
pta uterum geſtans, in ſeptimo g
ſtationis Menſe in plevritidem
gravem incidit cum oregmone, di
ficili reſpiratione, & febre acuti
ſima, delirio atque vigilijs, ſangv
nem ſibi mitti, non eſt paſſa ob im
prægnationem, tandem die ſept
mo naturæ vi ac ductu, ſcreare ca
pit, remedijs tamen adjuta multi
egglegmatis potionibus expecto
rantibus, fotibus, ſyrupis, ungvin
bus; remitti febris die undecim
incipit, procedit ſputum color
tum

tum, coctum, sinè magna difficultate emissum, vigesimo integrè decrevit, & liberata est sudore copiosè manante, Filiam postea peperit vitalem, & incolumem suo tempore, nempè exacto nono Mense. *Valeriola lib. 6. Obs. 6.*

Occasione hujus Quæres.

Utrùm Plevriticis Venæ sectio necessaria? Probl.

CONSIDERATIO NONA.

EA tamen Hæmopthiseos indoles est & benignitas, quòd nunquam, quantùm est de se, malignum spiret odorem, verùm ubi aliquid virulenti ipsa affligente latitat, non ipsi, sed socio ejus morbo adscribendum est, nisi & ipsa toxico alicui suam deberet originem, sed tunc etiam universus medici ocul⁹, in adversa vis deleteriæ alexiteria reflectendus. Multò minùs contagiosa est, quàmvis hodie, plures sibi

contubernales uno eodémque tempore affligere visa, atque curata est; Verùm inter reliquas inopias certa est etiam nepotum hæreditas.

Quæres in quo subsistant morbi Hæreditarij? Resp: in certa partium texturlabem generantis in genito referente.

